







John Carter Brown.



BOUND BY, CECIL & LARKINS

34

FOR E. W. STIBBS



1734

1735

COMMENTARIUS
DE
REPUBLICA

IN AMERICA

LUSITANA, ATQUE HISPANA

A^c Jesuitis instituta, belloque ab his
cum Hispaniæ, Lusitaniæque exer-
citibus gesto,

*Ex iis quæ asservantur in secretioribus conclau-
ribus legatorum, qui cum plena Regum
potestate negotia huc pertinentia in
America administrabant, aliisque
instrumentis certæ auctoritatis con-
cinnatus.*

E Lusitano in Latinum conversus.

Ubi de p[re]dicando
tionis autem, per
ter Loffmire, & Hippasie
per XVII calend[is] Februarii
CICLOCCI, de Americo
bus pacis fecerit, ministrant
Ostipponem (pacis inde fieri
et Martinum primum) Pacis
citatis non paucis adhuc
in eam pacem in An
Ruffianus adque Hispania
Reges in illa pacem esse
fuerit, ut res et eximio
esse posse videtur, quoniam
est, & potest esse bellum
ut est gerendum.

Quos quatuor ceteris
indignitate ostenduntur, ad
magis ipso rerum experientia
est manifesta, ea ratione
Theobas Regibus occurrere
debent, sed contra se

I **D**UM de perficienda pactione agitur, quæ inter Lusitaniæ, & Hispaniæ Reges XVII. calendas Februarii anni MDCCCL. de Americæ limitibus pacta fuerat, nuntiatum est Olisiponem (quæ fama inde statim ad Matritum perfertur) Patres Societatis non paucis abhinc annis in tantam potentiam in America Lusitana atque Hispana crevisse, sicque in illam pactionem esse animatos, ut res ad exitum perducere non posse videretur, quin difficile, & periculosum bellum cum illis esset gerendum.

2 Quæ quamvis certa atque indubitata afferebantur, indiesque magis ipso rerum experimento fiebant manifesta, ea tamen Jesuitæ duobus Regibus occultare non desisteabant: sed contra ea, & per se

& per fautores suos quamplurima
 incommoda, & difficultates sug-
 gerebant, quæ ad pactum illud
 omnino destruendum pertinerent:
 atque hac de re eodem tempore
 Matriti & Olisiponē operam da-
 bant, ut Reges amicissimos, eo-
 rumque Aulas jampridem magna
 animorum Societate conjunctas,
 invicem abalienarent. Illud profer-
 to metuentes, ne perniciosissima
 ipsorum consilia, maximam jam
 partem incepta, patefierent, si
 illud quod erat utrinque conven-
 tum, perficeretur. Sed cum Regum religio at-
 que fides plus tam improbis ma-
 chinationibus valeret, ubi pri-
 mum eorum exercitus in loca li-
 mitibus violata pervenerunt, sta-
 tim tūc à meridie, hoc est, ab
 ea parte fluminum, quæ *Para-*
guai & *Uruguai* appellantur, tum
 à Septentrionibus, hoc est, ab
 ea parte fluminum quæ *Nigri* & *Ma-*

(3)

Madeiræ nomen habent, magna omnium admiratione apparere cœpit, quod Jesuitæ oculis hominum frustra subducere conabantur.

4. In ea interioris Americæ regione, quæ fluminibus *Paraguai* & *Uraguay* continetur, potens beneque constituta Respublica inventa est, in fluminum tantum ripis, locisque finitimis triginta & unum insignis magnitudinis pagos complectens, hominum ferè centum millibus habitatos; qui pagi omnes, etiam propter agrorum ubertatem & colonorum frequentiam fructibus, opibusque aliis erant abundantissimi, soli tamen Jesuitæ hæc tanta commoda percipiebant, indigenis, quos Indos vocamus, servitutem interea miserri-

Respubli-
ca Para-
guai, ac
Uraguai,
bellumq̃
inde à Je-
suitis mo-
tum.

mam servantibus. Atque id ut certò assequerentur, postquam vias omnes inierunt, quibus ad eam rem perveniri posse existimabant, sub fan-

-50- Etissi-

ctissimo Christiani nominis dilatan-
tandi prætextu, hæc prima neces-
sariaque injustæ atque clandesti-
næ illius occupationis fundamenta
posuere.

6p Primo quidem omni illius
regionis aditu interdixerunt (tan-
taque ab illis diligentia est adhi-
bita, ut prosperè res succederet)
non modo Episcopis, Præfectis,
aliisque quibuscumque Magistrati-
bus, & Ecclesiasticis & Regiis,
sed etiam ipsis hominibus Hispani-
æ privatis: cura indefessa quid-
quid ibi ageretur celantes, illius-
que arcana Reipublicæ rationes
atque mysteria iis tantummodo
sua Societatis Patribus detegen-
tes, quibus ad tantum onus susti-
nendum tantasque molitiones opus
esset.

7 Maiori deinde dolo atque
perfidia intra ejusdem Reipublicæ
fines, & quidquid terrarum est
ulterius, Hispanæ Linguae usum
omni-

(5)

omninò prohibuerunt, ea tantum
permissa, quam ipsi *Guarani* so-
lent appellare: ut ita omni com-
mercio inter Hispanos atque In-
dos impedito, in illorum noti-
tiam pervenire non posset, quan-
ta hi miserrimi mala peterentur.

8. Indos denique ad libidinem
suam erudientes, teneris eorum
animis tamquam unum ex præci-
pui Christianæ Religionis pro-
nuntiatis imprimebant incredibili-
lem quandam atque infinitam suis
præceptis obtemperationem: Quæ
præcepta cum (uti mox referam)
immania essent atque intoleranda,
effecerunt, ut infelicissimos illos
homines tot annos maxima rerum
ignorantia, barbaraque & asper-
rime servitute continere potue-
rint.

9. Nam cum Indi tria hæc
ignorarent: & sibi esse Regem cui
parere deberent; & quidquam esse
sub sole *Beatorum Patrum*, ut
-iano ipsi

ipsi aiunt, potestate majus; & ul-
 las esse Leges præter illorum libi-
 dinem: hæc etiam sibi facillimè
 persuadebant, & nullum esse ar-
 etissimum illud dulcissimumque in-
 ter Reges & cives vinculum, sed
 omnes mortales suapte natura ad
 servitutem natos; & Patres suo-
 rum corporum atque animorum
 supremos esse dominos; & horum
 voluntatem tam sanctam esse at-
 que inevitabilem, ut ei sine ulla
 animi hæsitazione esset obedi-
 dum.

Hos quasi corporum &
 mentium iniquissimo monopolio
 constituto hæc etiam civili so-
 cietati charitativæ Christianæ in-
 fensissima Indis tanquam prima
 pietatis elementa tradiderunt.

Primum quidem *Abbas*
 omnes *Leicos* sine lege sine reli-
 gione esse homines; autem tan-
 quam Deum adoratores malum dæ-
 monem in corpore inclusum habere.

re; non Indorum solum, sed etiam
sacrarum Imaginum, quas ipsi co-
lebant, hostes iuratos esse; ideo-
que si semel regiones illas intras-
sent, aris primo eversis, mulieri-
busque atque pueris immolatis,
omnia postea igni atque ferro vas-
taturos.

Hinc facillime omnium In-
dorum mentibus tetra hæc atque
immania imprefferunt: in eos, quos
paulo ante demonstravi, inexpia-
bile odium fore exercendum; ma-
gnam in iis ad cædem conquirendis
diligentiam adhibendam; sicubi
invenirentur, non parcendum; &
ne magicis artibus reviviscerent
(nam magos esse Indis quoque
persuadebant) caput a cervicibus
abscindendum.

Indos interea militiam at-
que arma tractare edocebant; ni-
tratum pulverem, glandes, tor-
menta, quæ bello usui esse pos-
sent; homines peritos rei milita-
ris,

ris , indutos Societatis vestibus , qui in morem Europæ aciem infiruerent, aditusque illius regionis difficiliore communirent , ad eos introducebant. Quo tanto apparatu factum est, ut adversus Lusitanæ, & Hispaniæ Reges id bellum & movere Jesuitæ, & sustinere possent , quod à nobis in hoc commentario explicabitur.

14 Anno CIOCCCLII. cum Hispanæ, & Lusitanæ copię itinerum iam essent paratæ, ut Coloniæ SS. Sacramenti, & pagorum, qui ab Oriente sole flumen Uruguai attingunt, mutua traditio fieret; Regum æquitati Jesuitæ imposuerunt, ab iis necessariam illius traditionis moram postulantes. quoad Indi pagorum incolæ fructus, qui in agris adhuc lerant, perciperent, & in sedes alias, quas jam à separatis affirmabant, demigrarent. Nam cum hoc à clementissimis Regibus impetrassent,

ea,

ea, quas postea insecuta sunt, factis ostenderunt, nihil aliud re ipsa Jesuitas postulasse, nisi tempus ad se melius armandum, & Indorum animos, quorum opera id, quod injuste occupaverant, conservare volebant, magis in pristina rebellionē confirmandum.

Ubi tempus à Principibus concessum effluxit, eorumque legati amica omnia existimantes, ut pagi tandem traderentur, regiones illas intrare constituerunt, tot tantisque difficultatibus impediti sunt, ut Gomesius Frerius Andradius, copiarum Lusitaniæ Præfectus, homo modestissimus continere se non potuerit, quin VIII. kalendas Aprilis anni CIOGGCLIII. ad Marchionem de Valdelirios in hæc verba scriberet.

*Fam & ex litteris, quas acceperis, & ex nuntiis adventu-
ve Patris Altamirani tibi tandem*

per

persuadebis. Patres Societatis eos
 esse, qui populos ad rebellandum
 incitant. Nisi ex pagis Beati Pa-
 tres, ut illi iuniorum, deſiciuntur,
 nihil præter insolentiam, rebel-
 lionem, contemptum experientur.
 Id, quod initio vix credi-
 bile videbatur, jam rerum usu
 exploratum nobis eſt.

Dum Andræus in hanc
 ſententiam ſcribebat, jam à pro-
 ximo Februario defectio in aper-
 to erat, omnesque illius regionis
 populi conjuraverant: nam cum
 Regum legati nihil novi metuen-
 tes S. Theclam ad limites conſtitu-
 entos accederent; poſtquam ſibi
 itinera intercludi vident, atque
 id ſcillorum facinus Regi ſigni-
 ficaturos minantur; hoc ab illis
 reſponſum acceperunt.

Regem procul abeſſe; ſequæ
 ſuum tantummodo Beatum Patrem
 agnoſcere.

Atque ita legatos, cohortesque
 quas

quas secum duxerant, Coloniā
ac Montem Vadium recedere cōe-
gerunt.

19 Tali modo defectione pate-
facta, duo Maximi Regum Præ-
fecti Andradius & Marchio de
Valdelirios in colloquiis a *Cassel-*
lōs & *Martino Garcia* mensibus
Septembri, Octobri & qui usque
ad illius anni CIOCCOLIII fi-
nem, & alterius initium infecuti
sunt, habitis, ad Indos ab ea re-
gione ejciendos cum duobus exer-
citibus proficisci constituerunt.
Quod re ipsa non multo post illa
colloquia est effectum.

20 Hic magis omnia patefacta
sunt, dum enim milites ad rivum
accinguntur, magna Indorum ma-
lita arcem Lusitanam super flumen
Pardum conditam bis adorta est,
quatuor formentis bellicis ad eam
oppugnandam convectis.

21 Sed quum, cæteris puls-
isque profligatis, quinquaginta
eorum

eorum ab arcis præsidio caperentur, ejus arcis Præfectus, Andradiusque litteris XII. calendas Maii & XI. cal. Jul. anni Cl. MCCCLIII. datis nuntiarunt, interrogatos Indos, quibus de causis impulsis essent ad facinora tam imania atque tetra committenda, qualia ipsos & in arcis oppugnatione, & postquam capti fuerant designasse constabat, his omnino verbis respondisse:

22 *Indi captivi declarant Patres secum usque ad flumen Pardum venisse, atque in altera fluminis parte mansisse. Aiunt ex quatuor pagis esse, S. Ludovici, S. Michaelis, S. Laurentii & S. Joannis: quindecim adhuc tormenta in pago S. Michaelis assertari unus eorum affirmat.*

23 *Cum ab eis quæreretur quamobrem aliquo Lusitano interfecto, eum statim jugularent, responderunt, suos Beatos Patres affir-*

*affirmare solitos, Lusitanos, et si
quam plurima vulnera accepissent,
tamen reviviscere interdum, ni-
hilque tutius esse, quam caput eis
à cervicibus abscindere.*

24 *Exercitus Lusitani dux à
flumine Magno S. Petri IIII. calen-
das Jul. profectus, III cal. Augusti
ad arcem fluminis Pardi pervenit:
hanc arcem ut prætergressus est,
statim magnus Indorum rebellium
numerus sese offert, ut ei in iti-
nere incommodent. Tamen mili-
tibus semper ad pugnam paratis,
perpetuoque in conspectu hostium
progreffus est usque ad eum lo-
cum, unde in hæc verba scripsit.*

25 *VII Idus Septembris cum
ad eam fluminis Jacui partem per-
venissem, qua pedibus transiri
non potest, ibi castra Indi vallo
fossaque munierant: cumque ali-
quot ad eos colloquendi causa mit-
terentur, illud declararunt, quod
ex numero primo constat.*

26 *Hæc*

26 Hæc autem erat orationis eorum summa.

Suorum castrorum Præfectum adesse, Andream nomine; eique ab iis, sub quorum potestate erat, mandatum esse, ne Lusitanos ex eo loco sine eorum permissu progredi sineret.

27 Itaque exercitus usque ad XVI cal. Decemb. in armis fuit, quo die Imperator inducias cum Indis facere necessarium judicavit, quoad Rex Catholicus aliquid ea de re decerneret. Utrunque conventum, ne aut Lusitanis progredi, aut Indis aliquid novi audere liceret.

28 Exercitus Hispanus, qui ex altera S. Theclæ parte iter habebat, in ripas fluminis, quod Lusitani vocant *da Prata* regredi etiam coactus est. Cujus rei hæc causa fuit, quod & Indos omnium pagorum defecisse cognovit, viribusque valde superiores esse; & quod

quod illam militari disciplina ;
 quæ eorum imperitiam longe ex-
 cedebat , omnia corruperant , quæ
 copiarum victui inservire possent.

29 Postquam omnia hæc Oli-
 sponem Matritumque nuntiata
 sunt, Hispaniæ Rex ad Marchio-
 nem de Valdelirios in mandatis
 dedit, quod ipse litteris V. non.
 Februarii datis Andrædio his ver-
 bis significavit.

30 Ex litteris muneris mei,
 quas ad te scribo, cognosces, Re-
 gi compertum atque exploratum
 esse, hujus Provinciæ Festis-
 Indorum defectionem attribui
 omnino debere. Et præter ea, quæ
 ab ipso provisa in is litteris tibi
 significo, eum scilicet, qui sibi
 erat a confessionibus, a se ejecisse,
 millegue armatorum hominum mit-
 ti jussisse, epistolam Rege omni-
 no dignam ad me dedit, ut Pro-
 vinciali Societatis perfidiæ scelus
 exprobrarem, simulque ei suis ver-
 bis

bis dicerem , nisi e vestigio Indorum pagi sine seditione , aut cuiusquam cæde traderentur , sese in sua sententia confirmaturum; in eum ceterosque Societatis secundum Canonici Furis & Civilis leges tamquam in perduellionis reos animadversurum ; Deumque de innocentium sanguine , qui ipsorum causa effunderetur , ab iis supplicium sumpturum.

31 In eundem modum Lusitaniæ Rex Fidelissimus Andræo , quid fieri vellet , præcipit ; ut quemadmodum in Pactione de Limitibus conventum erat , Hispano duci pro virili auxilio esset , eamque pessimi exempli seditionem reprimendam curaret.

32 Cum hæc Regum mandata in Americam delata sunt , jam duo Imperatores exercitus in S. Antonium veterem convenire constituerant , ut per S. Teclam ingrederentur , rebellesque populos subji-

subjicerent. Atque re ipsa XVII
cal. Februarii superioris anni
CICCCCLVI. exercitus in eum
locum convenerant.

33 Ducibus cum exercitu e
S. Antonio egressis, iterque faci-
entibus, calendis Febr. animad-
versum est, parvam sexdecim mi-
litum Hispanorum manum, qui ad
explorandum processerant, non
rediisse. Primò exercitum deseru-
isse putabatur: sed postea comper-
tum est, a maiori Indorum manu
fuisse interfectam. Nam cum hi ni-
hil hostile præ se ferentes Hispani
occurrissent, eosque pacis si-
gno ad vires reficiendum invita-
rent; ubi primum ex equis desilue-
rant, impetu in eos facto, occi-
derunt, atque omnibus, quæ se-
cum ferebant, spoliarunt.

34 Quamvis rebelles armati
iter assidue impedire atque retarda-
re conabantur, duo tamen exer-
citus conjuncti progressi sunt,

quoad IV. non. Febr. eos cognoverunt collem, unde facile superiores essent, occupasse; ibique se vallo fossaque munivisse. Sed cum in ipso colle peterentur, post acre certamen, mille ac ducentis eorum interfectis, tormentis aliquot bellicis, atque aliis armis signisque militaribus captis, pulsi ac dejecti sunt.

35 Indi, hac clade accepta, usque ad X cal. Mart., quo die exercitus in radicibus parvi collis prope inaccessi confederunt, fortunam tentare, aliudque praelium inire ausi non sunt. Sed ubi collem, ut ad vicinos populos penetrarent, subire conantur, statim vallum aliud ad aditum praecludendum militari disciplina exstructum animadverterunt, tormentis aliquot bellicis, magnaque armatorum hominum multitudine munitum.

36 Vallo tamen e regione a
tor-

tormentis exercituum oppugnato, simulque Hispanis Lusitanisque copiis ab lateribus aggredientibus, victi atque in fugam coniecti collem, quem occupaverant, reliquerunt. Sed nec eo minus necesse fuit totum agmen usque ad V. non. Mai. illius anni ad iter expediendum consistere.

37 Exercitu tandem progrediente, statim plus quam trium millium Indorum manus à fronte apparuit, qui usque ad VI. non. illius mensis levia praelia cum cohortibus, quæ procedebant, magno cum suorum detrimento commiserunt.

38 Illo ipso die VI. non. Maii cum duo exercitus flumen Churieby transire constituerent, iterum rebelles munitionibus ad eam rem extructis transitum prohibere conati sunt. Sed eâdem vi, ac antea, oppetiti, iterum, multis eorum interfectis, pelluntur. Andra-

dradius autem Lusitani exercitus Imperator totam eorum, quæ eo die acta sunt, narrationem his verbis absolvit.

39 *Ipsa munitionis forma à me descripta satis demonstrat, quàm apta & idonea erat: atque si id opus ab Indis excogitatum atque effectum est, nobis persuadere debemus, loco rudimentorum Fidei Architecturam Militarem edoctos fuisse.*

40 Exercitibus denique postridie idus Maii ad pagum S. Michaelis accedentibus atrox quiddam atque à Christiana Religione maximè abhorrens ibi commissum erat. De eo Andradius litteris VI. calendas Jul. ejus anni CIOCCCLVI. datis ad Olisiponem ita scripsit.

41 *III idus posteroque die maiores fuerunt imbres, ad incendium tamen extinguendum, quo pagum illum flagrare conspiciebamus,*

mus, impares: postridie idus eo
 pervenimus, omnesque fabri nau-
 tici quamprimum accurrere jussi
 sunt: nam ignis, pretiosis quibus-
 que ædibus consumptis, in eam
 jam desiluerat in qua sacræ ve-
 stes, aliaque Templi ornamenta
 repenebantur. Eorum opera Tem-
 plum ipsum, quod profecto sum-
 ptuosum est, servatur; sed bar-
 barorum rabies anteverti non po-
 tuit, qua tum in sacras aliquot
 imagines sævierunt, tum in ip-
 sum Sanctissimi Christi Corporis
 repositorium, quod particulatim
 conciderant: Sacra tamen vascu-
 la a Patribus subducta fuisse com-
 perimus. Cum Templum tanti esset
 sumptus & operis, quantum ex
 Ichnographia & Prospectu co-
 gnosci poterit, quisquis illud in-
 grediebatur, præ rei atrocitate
 stupebat.

42 Hac nocte dux Hispanus
 præcepit, ut de improvviso in pa-
 gum

gum S. Laurentii , qui VII. mil-
 lia passuum abest , fieret impetus.
 Præfecto Montis Vidii ea res com-
 mittitur , qui cohortem ICCC.
 militum duceret : eorum ducenti
 erant e Lusitania , quibus Dra-
 conum Magister Josephus Igna-
 tius de Almeida præfuit ; sex-
 centi reliqui Hispani : quatuor
 etiam tormenta bellica importata
 sunt. Prima luce , antequam à
 quoquam animadvertenterentur , pa-
 gum ingrediuntur. Ibi aliquot ad-
 huc familias , tresque Jesuitas
 invenerunt , Franciscum Xaverium
 Lamp , illius Ecclesiæ Parochum ,
 celeberrimum P. Tedeum (sedi-
 tiosum hominem & astutum) lai-
 cum item unum. Nemo resistere
 ausus est , duoque Sacerdotes in
 exercitum missi. Eorum quem pri-
 mum commemoravi , dux in pa-
 gum remisit , alterum me rogavit
 ut in meum tabernaculum recipe-
 rem. Postquam ad pagum S. Joan-
 nis

nis pervenimus eum duci tradidi,
 qui, ut quidam affirmant, pau-
 cos post dies ei permisit ut ad al-
 teram Uraguai partem se confer-
 ret. Illud certè constat Montis Vi-
 dii Præfectum nonnulla in ejus
 cubiculi scrinio instrumenta repe-
 rissè, ex quibus facillime tota hæc
 seditio colligi poterat. P. Lauren-
 tius Balda, qui unus ex tenacissi-
 mis conjurationis capitibus, qui-
 que omnium maxime Indos ad de-
 fectionem hortari dicebatur, cum
 incolis S. Mickaelis, ubi erat Pa-
 rochus, in montes aufugerat.

43 Jesuitæ eodem, quo antea,
 dolore ob accepta detrimenta affi-
 ciuntur. Ipsi autem tanta est In-
 dorum obedientia, ut nunc in pa-
 go hoc, nulla vi præter Parochi
 voluntatem coactos Indos presier-
 ni videam, atque viginti quinque
 verbera accipere: tum erigentes
 se maximas illi gratias habere,
 illiusque manum exosculari. Pau-
 perrima

perrima hæc gens duriori imperio ac servitute opprimitur , quam mancipia , quæ in America aurum fodiunt.

44 Lusitano duce in pago S. Michaelis , Hispano autem in altero S. Joannis cum copiis commorantibus , omnia Jesuitarum consilia , qui eos pagos administrabant , detecta sunt. Ibi namque chartæ tres reperiuntur , in quibus omnes ipsorum artes atque doli , quibus Indos ad defectiorem incitaverant , atque in ea detinebant , quasi in unum contracti continebantur. Ab archetypo exemplari lingua Guarani scripto in Lusitanam conversæ sunt : nos eas latine redditas huic commentario subijciemus.

45 In earum prima conjurationis capita ducibus , quando exercitui aggregantur , quid fieri velint , denuntiant ; quæ sequuntur , binæ sunt litteræ ab iis ad exerc-

exercitum missæ. Scripta hæc sacrilega atque seditionis plena ad Indorum animos obfirmandos in Lusitanorum ac Hispanorum odio, pravisque opinionibus, quibus educti, institutique fuerant, omnino spectant: nec eorum auctoribus curæ fuit, quæ essent rationes pestifera hæc atque execranda consilia perficiendi.

46 Posteaquam duces septem pagos ingressi sunt, qui ab Oriente ad flumen Uruguai pertinent, cum Jesuitæ nec vi armorum resistere, nec imperata facturos palam negare auderent, adeo tamen dolose & astute omnia providerunt, ut minimè obtemperarent.

47 Qui enim meminisse debuerant, se causa demigrationis Indorum in partem Occidentalem fluminis Uruguai, ipsisque novarum sedium constituendarum, traditionis moram impetrasse, ideoque id a se factum sui purgandi

grat-

gratia saltem assimulare ; tamen nec id efficere (quod res postulare videbatur) curarunt , nec nova alia incipere destiterunt.

48 Nam sub finem superioris anni CI^oI^oCCCLVI. S. Nicolai incolæ in pristina defectione permanentes , in parvam equitum manum , qui Hispaniæ exercitum petebant , armati irruerunt. Cumque ab Hispano duce CCC. equites ad eos coercendos mitterentur , tanta vi restiterunt , ut & turmarum præfectum prælium committere cogerent , & unum decurionem atque aliquot equites interficerent.

49 Adeo etiam Jesuitarum audacia crevit , ut omnium , quæ acta fuerant , obliti , Indis ex hoc prælio servatis , sese in silvas ipsius oræ Orientalis fluminis *Uraguai* abdere persuaferint , iisque tam multos ex omnibus pagis aggregaverint , ut mense Maio hujus

jus anni eorum numerus quatuordecim CIO excederet. Ita Hispaniæ Lusitaniæque Reges ad eos subjicendos adhuc in armis esse compellunt.

50 In altera Americæ Septem-
trionalis Lusitanæ atque Hispanæ
parte, five in Maranania, eaque
regione, quæ à flumine Nigro ad
flumen *Madeiræ* pertinet, non
maior fuit Jesuitarum abstinentia,
atque moderatio; sed quatenus
per vires suas potuere, Eccle-
siasticas omnes leges, Regiasque
contempserunt.

Seditio-
nes Jesui-
tarum in
America
Septem-
trionali,
five in
Marana-
nia, eaque
regione,
quæ à
flumine
Madciræ
ad flu-
men *Ni-
grum*
pertinet.

51 Quum enim magnopere
curarent, ne ipsorum immania at-
que clandestina consilia ad aures
Regis Lusitaniæ pervenirent, ea-
que Indorum conversione tan-
quam densissimo quodam velo
obducerent, haud difficulter ab
ipso Rege quamplurima impetra-
runt privilegia: multa item con-
tra jus a Jesuitis commissa ab eo
dissi-

diffimulata sunt. Quibus omnibus effectum est, ut in Maranania Magnoque *Para* per summum legum contemptum omnem in Indos Ecclesiasticam & Civilem jurisdictionem sibi arrogarent: tum per speciem libertatis eorum defendendæ ipsos in durissimam servitutem addicerent. Ita enim non solum in Indorum agros, fructusque, quos inde percipiebant, sed in quotidianum etiam laborem invaserunt; ut ipsis nec tempus darent ad pauperimum victum, quo contenti sunt, anquirendum; nec vilissimum vestitum, qui ad tegendum corpus, pudoremque avertendum satis esset.

52 Ut barbaram hanc atque intolerandam dominationem retinerent, eadem constituerunt, quæ ab ipsis in altera Meridiei parte facta esse demonstravi: Lusitanorum scilicet ingressum in pagos sibi commissos prohibuere, causam

sam interferentes, si res alio modo se haberet, horum consuetudine bonos Indorum mores corrumpendos; omnis deinde Lusitanæ linguæ usus in eisdem pagis prohibitus est, nequa essent inter Indos ceterosque Lusitanæ cives colloquia.

53 His aliisque hujuscemodi viis miserorum hominum libertatem oppressum ierunt Jesuitæ, quin ab ea re aut quamplurimis legibus sub Sebastiano aliisque post Lusitanæ Regibus promulgatis, aut, quod maius est, pœnis a MM. PP. Paulo III., & Urbano VIII. indictis deterrerentur.

54 Ab Indorum libertate oppressa ad agriculturam commerciumque *Maranania* atque *Magni Para* occupandum sese converterunt; nullaque a Jesuitis ratio habita est tum juris Canonici, tum SS. PP. Constitutionum, quæ pœnis gravissimis propositis negotiari

tiari Regularibus interdicitur, atque iis maximè, quibus annuntiandi Evangelii cura commissa est. Denique in omnem omnino negotiationem, non generum tantum cujusque mercaturæ, sed rerum etiam, quæ sunt hominum vitæ imprimis necessaria, invaserunt, earum venditione contra jus fasque sibi tantum reservata.

55 Hinc quamplurimi (quod in tali re fieri necesse fuit) semperternas Indorum misérias, colorum penuriam, commercium atque agrorum culturam occupatam, horumque omnium causam Jesuitarum vim ac libidinem conquesti sunt. Has tamen delationes magna industria Jesuitæ interceptabant, nec usquam ad Regis Lusitanæ notitiam pervenire poterant, quoad Max. Ecclesiæ Pont. anno CIOIOCCXXXI. Regem Fidelissimum Joannem V. magno cum animi dolore de omnibus

bus certiore fecit. Rex autem, ut erat Religione ac pietate singulari Pontifici Max. Benedicto XIV, qui nunc toti Ecclesiæ præest, promisit, magnæ sibi curæ Indorum libertatem futuram, eumque in ea re, quantum in se esset, adiuturum.

56 Hoc inter Regem, & Pontificem constituto, hic litteras Petri Successore omnino dignas XIII. cal. Jan. emisit, in quibus gravissimæ poenæ proponuntur, multaque a Pontifice providentur, quemadmodum ex iis perspicui potest.

57 Simul Lusitaniæ Rex mandata gravissima in illas regiones perferri curavit, ut quod Pont. Maximus decreverat, omninó perficeretur. Sed frustra: cum enim D. Fr. Michael Bullionus, *Magni Para* in præsentia Episcopus. præclaræ Dominicanorum familiæ dignus alumnus, quamplurimis antea tentatis, ea Pontificis mandata

exequi aggreditur, talis seditio co-
orta est, ut ab incepto id tempo-
ris desistere optimum judicaverit.
Nec enim quidquam de ea re Oli-
siponem scribere ausus est, nequam
Regi sollicitudinem afferret, mor-
bo, quo pridie calendas Augusti
anni *CIIOCCI*. mortuus est, jam-
tum graviter affecto.

58 Hic erat rerum Societatis
in Maranania, *Magnoque Para*
status, cum Rex Fidelissimus, bo-
nis auspiciis nunc Lusitaniæ impe-
rans, pridie calendas Maii anni
CIIOCCCLIII Franciscum Xave-
rium Mendonsam Furtadum, illa-
rum provinciarum Præfectum Ma-
ximum, suum cum plena potesta-
te ad limites septemtrionalis oræ
constituendos, colloquiaque de eo
negotio habendum, Legatum desi-
gnavit; simulque ei præcepit, ut
quamprimum in fluminis *Nigri*
confinia pergeret, atque ibi ad
Regis Hispaniæ Legatos excipien-
dos

dos tentoria commeatum que pararet.

59 Et quia jam tum Olisipone pervulgatum erat, Indorum (sine quibus nil apte fieri poterat) quidquid esset, sub Jesuitarum esse potestate, eaque præterea, quæ supra commemoravi, Lusitaniæ Rex ad Proprovincialē Societatis in Maranania, *Magnoque Para* scribi decrevit, ut quam diligentissime omnes ex Indis operas, quæ penes se essent, quamque maximas posset, præberet, ut ita Legatus ejus celerius, maioriq̃ue cum dignitate in locum colloquiorum se conferret.

60 Hoc autem modo Regis mandata Jesuitæ executi sunt. Primo Indos colloquiorum loci vicinos concitarunt, pagosque deferre fecerunt: missi eo autem fuerant, ut huic rei darent operam, *PP. Antonius Josephus* Lusitanus, atque *Rochus Hunderfund* Germanus. Deinde ductu *Emma-*

melis de Săctis sororis Proprovincialis filii castra in rpiis fluminis *Favari* collocarunt , ibique adversus Carmelitas , qui bono exemplo pagos fluvii vicinos administrabant , bellum indixere , eo consilio , ut , populorum seditione facta , omnis illa regio inculta atque inhabitabilis redderetur. Deinde intra ipsam *Magni Para* urbem eatenus Indos concitarunt , quoad opera publica defererent , quæ jussu Regis ad expeditionem fluminis *Nigri* efficiebantur. Deinde Regiis Magistratibus ubique insultarunt , iis & Societatis in regno Lusitaniæ auctoritatem potentiamque minantes , & seditiones perpetuas , quæ mandata Regis exequi omnino impedirent : quod ut facilius persuaderent , eam semper fuisse suorum maiorum consuetudinem affirmabant. Pagos denique , qua iter ad ad flumen *Nigrum* erat , cæterosque , unde aliquid ad vultum exercitûs

exercitus convehi poterat, desertos effecerunt, frumentum commeatumque omnem aut corruperunt, aut aliò transfulerunt; ut remigum, atque rei frumentariæ inopia milites, qui ad locum colloquiorum finesque constituendos iter faciebant, interirent.

61 Fœda hæc Jesuitarum facinora ex litteris Episcopi, Præfecti, aliorumque Magistratum liquidò Regi explorata, ea animadversione digna erant, quæ posteris documento esset. Vicit tamen Regis Fidelissimi clementia: speransque mansuetudinem suam quendam ulciscendi modum fore, atque Jesuitas in tantum pudorem adducturum, ut nihil tale in posterum auderent, iterum Provinciam de omnibus seriò admonere constituit: litterisque, quibus quinto nonas Martii anni MDCCCLV. nomen suum subscripsit, PP. *Antonium Jese-
phum,*

plum, Rochum Hunderfund, Theodorum à Cruce, Emmanuelem Ganzagam, quorum ibi erant pessima exempla, ex illis regionibus jussit excedere: alteras illo ipso die dedit, ut Carmelitis plena pagorum administratio restitueretur, unde eos sororis Proprovincialis filius, uti supra demonstratum est, per vim armorum magna cum omnium offensione dejicere tentaverat.

62 Dum hæc Olisipone geruntur, Xaverius Regis Legatus, dilationibus, atque difficultatibus superatis, quas ad iter ejus impediendum coortas diximus, è civitate *Magni Para* postridie calendas Octobris anni *CIJCCCLIII*. profectus est.

63 Quacumque iter faceret, notas ubique Jesuitarum artes invenit, aliaque magis incredibilia, quæ ex commentario diurno certæ auctoritatis, in quo illud iter descrip-

scriptum est, liquidò cognosci possunt. Ex eo aliquot huc loca transcripsimus, ut appareat, quanta Legatus, tam Indorum, qui ad remos aliaque opera erant necessarii, quam commeatus causâ sit perperatus.

64 Quod ad Indos attinet sic habet commentarius.

Sexto Idus Octobris hora diei prima ab eo flumine movimus, pagumque de Guaricu petebamus. Eum hora quinta ingressi, quamvis ex pagis mediterraneis maximè esset incolarum frequentia celebris, desertum invenimus. Nemo enim ibi erat præter P. Martinum Sebuvari Parochi socium, tres Indos senes, adolescentes aliquot, paucasque Indas, remigum, qui cum copiis venerant, uxores.

65 Ut sex Indi præsto essent ad scaphas quasdam instruendas, quæ inopiâ remigum laborabant,

bant, incredibilem diligentiam adhibere necesse fuit, simulque celsissimum Præfectum aliqua vi uti, militibus in villas (rosas in America vocant) silvasque, quo sese abdiderant, missis. Pauci qui inventi sunt declararunt, omnem populum oratione Patris inductum au- fugisse.

66 Quinto Idus inter horam diei Septimam & cclavam in pagum Arucara accessimus, ubi P. Emmanuel Riberius erat, Indorumque numerus paulo maior quam in Guaricu. Cum Indis ad remos opus nobis esset, eos per villas conquirere necessarium fuit.

67 Septimo calendas Novembris Indorum censu habito, nocte proxima, triginta sex desertuisse cognovimus, omnesque e pagis, quorum administratio penes Jesuitas erat.

68 *Prope arcem fluminis Tapa-
jòs pagus quidam situs est ad-
ministrationis Jesuitarum, in-
colisque frequentissimè habita-
tus; illius Ecclesiæ Parochus
erat P. Joachimus Carvalius :
ibi parvus item Indorum nume-
rus repertus, ut cum propter
decem & octo fugam iis opus
esset, Præfecti jussu ex Cuma-
ru atque Bobari, qui pagi ad
idem flumen pertinent, sint con-
quisiti.*

69 Tandem hoc eodem modo,
ut habet commentarius, centum &
sexaginta quinque Indos copias de-
ferere fecerunt. Ipse autem Regis
Legatus, referens quæ in itinere
ad hanc rem pertinentia ei accide-
runt, postquam quemdam ex pa-
gis desertum, omnesque incolas
se in silvas abdidisse narravit,
epistolam pridie nonas Julii da-
tam ita concludit.

70 *Ex eo pago ad pagum Aru-
cara*

*cara, qui paulo plus decem mil-
libus passuum distat, progres-
si sumus: eodem ferè modo se
habebat: atque ne sæpius de
eadem re dicam, hic erat om-
nium pagorum status.*

71 Quod ad comneatum vero
attinet, de quo à Rege Fidelissi-
mo erat præceptum, ut quid actum
sit facile intelligi possit, ex litteris
Episcopi Magni Para nono calen-
das Augusti (cùm, Xaverio absente,
negotiis etiam civilibus præesset)
illius anni CIOCCCLV. datis
hæc verba exscribemus.

72 *Tam vero nullius obedien-
tiæ charitatisque in hac re fue-
runt (Jesuitæ) ut in pagis flu-
minis Tapajos, qui tantum ad
cōneatum castris fluminis Ni-
gri suppeditandum sufficiebant,
nominatim Indis præceperint,
nequid ab eis aut farine (man-
diocam appellant) aut legumì-
num in prædiis provideretur;*
se se

seſe , cum ſumma neceſſitas premeret , victum per ſilvas anquirere eis permiſſuros affirmaverint.

73 *Idem in omnibus ferè pagis ſuæ adminiſtrationis à Jeſuitis factum eſt : nam partim ſuis privatis commodis Indos detinebant , unde neceſſe erat nullam ipſos farinae conficiendæ operam dare ; partim expreſſe mandabant , ne , ſiquam haberent , Albis venderent. Quæ res in pago Arucara , qui ab illis adminiſtratur , contigit. Cùm enim milites quidam ex præſidio oppidi Mucapa ad farinam emendam in eo pago commorarentur , ac die Pentecoſtes Rei Sacræ aſſiſſerent , ipſis præſentibus , Eccleſiæ Parochus , Emmanuel Riberius , eo loco ſedens , unde Fidei myſteria exponi , virtutumque exercitationes perſuaderi ſolent ,*
Indis

Indis (bos iposrum lingua alloquebatur) præcipiebat, ne aut farinam ullo modo militibus venderent, aut ulla re oppidum de Macapa juvarent. Qui aliter facerent, severissime puniendos affirmabat.

74 Iisdem temporibus apparuit, Jesuitas per summum imminutæ Majestatis crimen, non solum cum barbaris nationibus mediterraneæ regionis Americæ Lusitanæ sine Præfecti, Magistratuumque Regis auctoritate foedus ferire; sed etiam scelus sceleri addentes, inter foederis condiciones ab ipsis barbaris pacisci supremum dominium, laborem, ab imperio Regis Lusitaniæ immunitatem Indorum: tum illa æque pervulgata, *Albos* odisse, eorum consuetudinem atque clientelam detrectare, Præfecti cæterorumque Lusitaniæ civium mandata contemnere. Hæc omnia ex eo foedere manifeste constant,

stant, quod inter *David Fay* pagi S. Francisci Xaverii de *Acamà* Parochum, atque Indos *Amanajos* mense Aug. ejusdem anni *CLIOCCCLV.* ictum est. In eo fœdere hæc capita reperiuntur.

Caput III.

75 *Velint ne Patrum filios haberi, eorum se subdere imperio, dicto audientes esse, eosque Microbixavas (hoc est Præfectos max Imperatores) sibi constituere, qui filiorum loco Indos habituri essent ? Responderunt, velle se filios Patrum esse.*

Caput V.

76 *Velintne tamquam boni filii suorum Patrum commodam curare ! Responderunt, velle se & silvas cedere, & magnum agri modum Patribus colere.*

77 *Velintne Morabixavæ Goacu Alborum* (hoc est Regis Lusitaniæ Præfecto) *audientes esse, jussique ab eo ad operas ire? Omnes una voce responderunt, minime velle se ullum cum Albis habere commercium.*

VIII.

78 *Siquid singulare & præter consuetudinem accidat, ex. g. vis hostium, Goajajaræque* (hoc est Albi) *adversum ire præcipiant, Amanajostine velint eos adjuvare? Responderunt velle se Goajajarum bonos commilitones esse, eosque in bello adjuvare; cæterum idem sibi vicissim a Goajajaris fieri debere.*

79 Sic Regis Præfectus cæterique Lusitani cives per has conditiones Indis omnino exaequebantur, Jesuitis interea Præfectis Ecclesi-

clesiasticis, omnibus auctoritate superioribus, constitutis. Unde patet factum est, Jesuitas hoc modo cum Indis paciscentes, ad eos ab imperio Lusitaniæ Regis, societateque civili *Alborum* abducendos causam quærere.

80 Hæc omnia Rex Fidelissimus animo reputans, secum ipse statuit, tam inveteratis malis extrema remedia omni cura adhibere. Itaque D. Fr. Michaellem Bullionium *Magni Para* Episcopum admonuit, ut Pontificias litteras decimo tertio calend. Jan. an. CI^o I^o CCXXXI. datas, quibus Indi in libertatem asserebantur, quique aliter facerent, docerent, defenderent, aut ad populum concionem haberent, *excommunicationis latæ sententiæ* damnabantur, primo quoque tempore promulgaret. Binas deinde leges sancivit, atque postridie non. Jun. septimoque Idus ejus mensis anni

CICLCCCLVI. promulgavit, quibus priorum Regum leges de libertate bonoque Indorum publico confirmantur. Præfecto denique *Magni Parà* præcepit, ut omnia tanto studio & diligentia exequeretur, quanta Pontifex Max., ipseque in cōmuni causa constituerant.

81 Cum hæc Regum mandata in *Magnum Para* perferrentur, dum Præfectus abesset, atque in loco colloquiorum commoraretur, Episcopus, qui pro Præfecto erat, illorum executionem eatenus differre statuit, quoad ipse Præfectus adveniret. Cujus rei hæc causa fuit, quod Jesuitæ, postquam expeditionis fluminis *Nigri* difficultates, quas maiores existimabant, quam ut eis à quoquam provideri posset, viderant superari, alia per vim aggressi fuerant, ad quæ declinanda tali cautione opus esse judicavit.

82 Nam primùm centuriones
ali-

aliquot, signiferos, bellicorumque operum machinatores adversus Præfectum concitare tentarunt. Quod ipse nonis Jul. anni CICICCLV. ea, quæ ad hanc rem pertinere animadverterat, describens, his verbis, quibus narrationem absolvit, significaverat.

83 *P. Alexius Antonius, quem supra demonstravi, eandem rem persequens, centurionibus aliquot, signiferos, operumque belli machinatoribus sese adjunxit, atque eos per speciem sacris Divi Ignatii commentationibus exercendi, in Collegium ad suum arbitrium introduxit: Tum machinatoribus affirmabat, vasa omnia argentea, quæ ad mensam instruendum à Rege missa, quæque hic (hoc est in castris fluminis Nigri) ejus pecunia cõparata fuerant, sua esse. Omne item æs ad culinam spectans illis debere distribui:*

si aliter fieret, furto unicuique eorum auferri.

84 *Deinde ipse P. Alexius, aliique ejus socii illis persuadere conati sunt, me è Parà injussu Regis exisse; meoque arbitrato eos in silvas abducere: ubi præter infinita incommoda, quæ pati erat necesse, fame tandem essent perituri. Atque omnia hæc nulla causa, mea libidine excepta, fieri; quando nec tum limites constituerentur, nec unquam constituendi essent.*

85 *Idem aliorum litteris cognitum est, quibus Jesuitarum consilia, atque machinationes ad concitandos milites nuntiabantur.*

86 *Alterum à Jesuitis inceptum fuit, à clandestinis consiliis se se ad arma palam convertere; Jesuitisque Hispanis, qui ad septemtrionem finium Magni Parà incolunt, sociis adjunctis, in interiori*

teriori regione se per vim defendere conari. Cum enim mense Januario anni *CIJICCLIV.* oppidum *Borham Novam* in pago autea *Troncano* appellato conditum iretur, ibi P. Anselmus Eckart Germanus, qui eò paucos ante menses ad Indos in Christiana Religione erudiendos advenerat, alio sibi Jesuita adjuncto *Antonio Meisterburgo* Germano item, cum duobus tormentis bellicis repertus est. Ambo in ea regione eas turbas dederunt, tantaque flagitia perpetrarunt, ut ad ea explicanda longo comentario opus foret, illamque suspicionem vero simillimam effecerint, sub Jesuitarum vestibibus homines rei militaris peritissimos latere.

87 His rebus & infirma valetudine coactus in *Magnum Para* Regis Præfectus descendit, ejusque præsentia & auctoritate recreatus Episcopus litteras *Pastorales*

edidit, ut litteræ Pontificiæ, legesque Regiæ, quas supra demonstravi, executioni mandarentur.

88 Fit utraque promulgatio solemni ritu, magna que omnium lætitia quinto cal. Februarii, & V. IIIIque cal. Jun. tumque illius urbis incolæ Pontificis Max. & Regis Fidelissimi beneficio calamitates, quibus tot jam annos opprimebantur, cessare viderunt.

89 Nondum tamen iis, quæ ex machinationibus Jesuitarum ante demonstratis effecta sunt, finis imponi potuit. Quanvis enim eorum rationes milites alicujus dignitatis & fidei comovere non potuerint, adeo tamen apud quosdam nullius meriti valuerunt; ut statim ac Præfectus è castris fluminis *Nigri* profectus est, castra ipsa centum ac viginti deseruerint, atque armamentariis, apothêcisque Regiis compilatis, in quibus quamplurima

ma ad usum belli, victumque pertinentia asservabantur, ædibus item pratorum aliquot hominum direptis, sese in provinciam *Omeguàs* ad Jesuitas Hispanos contulerint. Ibi etiam tum eos manere XIII. cal. Jul. superioris anni in *Magnum Parà* nuntiatum est. Et quia ex eo die nullus nuntius ab ea provincia in Lusitaniam venit, hic nostro commentario finem imponimus.

TESTIMONIA, QUÆ Num. I.

sequuntur, non omnino secundum veterum loquendi morem latinè reddimus; sed contrà, ut nihil eorum vi atque auctoritati detrabatur, multa in ipsis convertendis consultò peccantur.

EXEMPLUM MANDATORU,
quibus Jesuitæ, sub quorum potestate sunt Indi, eos cum ad exercitum profecti sunt, instruxerunt. Mandata hæc apud Indos reperta, è lingua *Guarani* in qua erant scripta, in Lusitanam fideliter accuratissime sunt conversa.

J E S U S.

P*rimum omnium singulis diebus cum expergiscimus, ostendere debemus, nos Dei Domini nostri,*

Num. I.

tri, Virginisque Sanctissimæ Domine Nostræ filios esse. Nosmet ipsos etiam toto animo tradituri sumus Domino nostro, Virgini Santissimæ, S. Michaeli, Sanctis Angelis, omnibusque Sanctis urbis cælestis; preces ad eos fundentes, ut iis precibus auditis, miseriis nostris omni misericordia dignis consulant, nosque animi atque corporis damnis liberent. Nunquam etiam intermissuri sumus piam consuetudinem Santissimum Rosarium Domine nostræ recitandi; quod obsequium maximè ipsi cordi est, efficietque, ut eam in nos misericordiam impertiatur, qua mala nostra indigent: atque ita Santissimo ejus auxilio tanta mala, quanta nobis imminet, fugiemus.

Statim ac gentes illæ, quæ nos oderunt, sese nobis opponent, auxilium Domine nostræ Virginis Santissimæ, S. Michaelis, S. Josephi, omniumque Sanctorum nostræ

træ regionis omnes simul deprecabimur. Quod si toto pectore efficiemus, nobis succurrent. Cum illi, qui nos oderunt, nobiscum loqui velint, eorum colloquia recusaturi sumus, Hispanorum sermones maximè, multoque magis Lusitanorum fugientes. Per hos Lusitanos omnia nobis ad nos præsentia mala afferuntur. Mementote eos olim maiores vestros defunctos occidisse. Multa eorum millia, quin pueris innocentibus parcerent, interfecerunt: Sacras etiam imagines, quæ aras Deo Domino nostro dicatas ornabant, irrisui, contemptuique habuerunt. Hoc ipsum, quod tum accidit, nunc de nobis facere volunt, ob eamque rem, & si magnam diligentiam adhibeant, nunquam tamen nos eis dedituri sumus.

Num. 1.

Si forte nobiscum loqui velint, quinque omnino Hispani venire possunt. Nemo ex Lusitanis veniat, siqui

Num. I. *siqui enim venerint, malo afficientur. Gomesium Frerium ad nos venire nolumus; ille enim sui que malis demonii artibus tanto nos odio habent. Hic Gomesius Frerius tot turbarum auctor est, tantaque mala perpetrat, suo Regi, nostroque bono Regi imponens. Deus Dominus noster nobis has terras dedit; ille vero omnia tentat, ut nos ab eis expellat atque in paupertatem adducat. Ad eam rem multa de nobis falsa affirmat, simulque de Beatis Patribus, quos ait nos sine Sanctis Sacramentis mori sinere. Propterea existimamus eorum adventum Deo minime cordi esse. Nos in nulla re bono Regi nostro defuimus. Ubi ubi nos aliquid voluit, mandata ejus semper exhausimus. Argumento est, nos sepius ejus iussu in capitis discrimen nos obtulisse, nostrumque sanguinem fudisse in obsidionibus, quibus Colonia Lusitana oppressa est: idque ut ejus voluntati*

luntati tantum pareremus, nec Num. I.
quidquam præter magnam animi
alacritatem in mandatis ejus exe-
quendis ostendimus. Hujusce rei
testes locupletissimi sunt Dominus
Præfectus D. Bruno, aliusque
Præfectus, qui ei successit. Cum
que noster bonus Rex nobis ad Pa-
raguai opus habuit, eò profecti
sumus, multique eorum, qui &
in Paragnai & in Colonia præcla-
ra facinora ediderunt, in his militi-
bus adhuc reperiuntur. Noster bo-
nus Rex semper nostris rebus ma-
gna clementia prospexit, quod &
mandata ejus executi, & optimè
de illo meriti sumus. Et quasi hoc
nihil esset, nobis dicitis: agros
vestros, arationes, stationes, to-
tamque regionem derelinquite! Hoc
non Dei jussu. sed demonii est.
Noster bonus Rex viam semper
Dei, non demonii instat. Hoc il-
lud est, quod semper audimus?
Noster bonus Rex, quamvis miseri

Num. I. & infelices, nunquam tamen in nos, ut qui sub ejus potestate sumus, tyrannidem exercere voluit, nec nobis detrimentum afferre, infortunio nostro consulens. Quæ cum sciamus, nobis non persuadebimus, à bono Rege nostro mandatum esse, ut infelices homines fortunis, agrisque suis exuantur, nulla causa, præterquam quod ubi res sese obtulit, semper de illo optime meriti sumus. Itaque ei non credamus, cum dicat: Vos Indi agros omniaque vestra Lusitanis tradite: nunquam ei credemus: ita non erit. Si ea suo sanguine emere velint, nos contra, nostro item sanguine ea recuperabimus. Viginti populi nos conjunximus, ut eis obviam eamus: magnaue animi alacritate nos morti prius offeremus, quam terras nostras relinquamus. Cùm non bonus hic noster Rex Lusitanis donat. Bona Aera, Sanctam Fidem, Currentes atque Paraguai? Ma-
lum

lum hoc in solos Indos recidet, Num. I.

quibus præcipit, ut domos, templa, quicquid denique habent, Deusque illis tribuit, relinquant. Superioribus diebus existimabamus, vos mandata boni nostri Regis afferre, atque ita nos comparavimus, ut quid faciendum esset, sciremus.

Nolumus eo ire, ubi vos esis; nihil enim vobis confidimus: idque eo factum est, quod rationes nostras contempsistis. Nolumus has terras tradere, licet eas nos velle tradere affirmaveritis. Cum tamen nobiscum loqui velint, quinque Hispani veniant, nulloque malo afficientur. Pater, qui Indorum est, eorumque linguam novit, interpretes erit: sicque omnia componentur; ita enim res, quemadmodum Deus præcipit, fient; aliter quò diabolus vult, abibunt. Nobis nunquam persuadebitur, ut illac ambulemus, ibique vivamus, quàm nos ambulare, ubique nos vivere

Num. I.

verè vultis. Nos terras vestras nunquam pedibus nostris pressimus, ut vos occideremus, pauperesque efficeremus, quod infideles facere solent, vosque etiam nunc facitis, qui ad nos in paupertatem adducendum venitis, quasi Dei legem, quodque a bono nostro Rege de nobis constitutum est, nesciretis.

Idem ex testimoniis , quæ se-
 Num. II. -
 quuntur , cognosci potest.

EXEMPLUM EPISTOLÆ,
 quam populus. seu potius Paro-
 chus S. Francisci Xaverii nonis
 Februarii anni CIOCCCLVI.
 ad Prætorem (ut ipsi vocant con-
 rectorem) qui copiis ejus pagi
 in exercitu rebellium præerat,
 Lingua Guarani scripsit. Ab ea
 in Lusitanam fideliter conversa
 est.

PRætor *Josephe Tiarayù*, Deus
 Dominus noster , Virgoque
 Sanctissima maculæ expers, Pater-
 que noster S. Michael tibi , omni-
 busque hujus pagi vicinis militibus
 comites adsint. Parochus noster
 litteras tuas accepit nonis Februar.
 in hac statione S. Xaverii. Ex his
 cognovit omnes vos bene valere.
 Pater ipse ante Sanctissimam ima-
 ginem Domine nostræ de Laureto
 rem.

Num. II. *rem sacram peragit , ut pro vobis deprecatrix sit , atque bonam mentem ad omnia vobis tribuat , omni- que malo vos liberet. Eamdem rem rogat Deum Patrem Aeter- num , Bonumque. Bonus P. The- deus , bonusque Pater Michael idem faciunt : quotidie missas ce- lebrant , atque pro vobis offerunt , omnesque Patres cæterorum pago- rum simul cum suis filiis Deum assidue orant , ut vobis bonam men- tem tribuat. Per amorem Dei vos obsecro , ut magnam inter vos con- cordiam habeatis , simulque in pe- riculis constantiam , atque æquum animum in iis , quæ adversa acci- dere possunt. Dulce Nomen Ma- riæ Sanctissimæ invocate , & Pa- tris nostri S. Michaelis , & S. Jo- sephi , eos rogantes ut vestra in- cepta adjuvent , bonam ad ea per- ficienda vobis mentem tribuant , malisque omnibus atque periculis vos liberent. Si ita feceritis , fa- cile*

cilè vos Deus adjuvabit , *Virgo* Num. II.
que Sanctissima , atque omnes *Angeli* vobis aderunt. Scire cupimus,
 cujus pagi à nostro distantis incolæ prope vos consistant. Hoc nobis
 significate. Illud etiam ignoramus,
 qui *Præfectus cum Hispanis* veniat ,
Bonorumne Aerum , an *Montis Videi* , an uterque simul : illud-
 que etiam , quâ iter *Hispanorum*
 carra faciant , pervenerintne jam
 ad *S. Antonium* : quâ iter *Lusitani*
 faciant , an se jam cum *Hispanis*
 conjunxerint. De omnibus
 his nos facite certiores. Si ab ip-
 sis litteras acceperitis , eas conti-
 nuò ad *Parochum* mittite.

Per Dei amorem vos obsecra-
 mus , ut eos , qui vos oderunt , vo-
 bis imponere ne patiamini. Si lit-
 teras ad eos scripseritis , iis signi-
 ficate quantum dolorem ex ipso-
 rum adventu capiat : simulque eis
 ostendite quàm parùm ipsos ti-
 meatis , quantaque multitudo sitis.

E

Que

Num. II. *Quæ multitudo etsi tanta non esset, nullum tamen timorem nobis eos injecturos, quod Virginem Sanctissimam, Sanctosque nostros defensores nobiscum habeamus. Si quem ceperis, quidquid ad rem facit, diligenter ab eo inquire. Quem ad tormenta explodenda à me petendum curasti, nunc in pagum pervenit, quamprimumque ad vos mittam. Nunc signum militare perferendum curo, in quo Domine nostræ imago expressa est. Nihil hic novi de quo vos certiores faciam. Omnium hujus pagi, innocentium imprimis, multum precibus confidite : omnes enim pro vobis deprecari magnopere curant. Parochus noster multum vos omnes salutat, vobisque commendat, ut quam sæpius Virginem Sanctissimam, Patremque nostrum S. Michaellem oretis : Siquid vobis opus sit, directo ad eum scribatis, quotidieque, quidquid novi : itaque*
omni-

(65)

omnino faciat. Omnes hujus pa-Num.III.
gi magnopere cupimus primo quo-
que tempore res vestras cognosce-
re. Parochus noster , bonus P.
Thedeus , ac bonus P. Michael
multum vos omnes salutant. Idem
omnes nos facimus , & qui in S.
Xaverio commoramur , & qui in
populo sumus. Deus Dominus nos-
ter , Virgo Sanctissima , Pater-
que noster S. Michael vobis ad-
sint. Amen. Popellus S. Xaverii
nonis Febr. anni CI^o I^o CCLVI. =
Oeconomus Valentinus Barrigua.

Num.III. **E X E M P L U M** EPISTOLÆ,
 seditionis , & fraudis plenæ,
 quæ à Cassicis pagorum rebel-
 lium ad Præfectum Bonorum
 Aerum scribi dicebatur : quod
 quidem non fit verisimile, pro-
 priusque vero est eam falsam cau-
 sam confictam fuisse, ut Episto-
 la in Indorum vulgus spargere-
 tur, atque mendacia, quæ in
 ea continentur, ipsis credibilia
 fierent. Ea Epistola e lingua
 Guarani Latine fideliter reddi-
 ta est.

Domine Præfecte , litteras
 has nostras ad te mittimus ,
 ut tandem dicas quid nobis fiet ,
 tecumque ipse statuas , quid a te
 faciendum sit. Scito , anno superio-
 ri Patrem Commissarium ad no-
 stras terras nos sollicitare venisse ,
 ut nostris pagis , nostrisque terris
 exiremus , affirmasseque hanc esse
 Re-

Regis nostri voluntatem. Tu etiam Num.III.

præterea epistolam acerbissimam ad nos misisti, ut igni vastaremus omnes pagos, sacella, templumque nostrum, quod tam bellum est, atque in ea etiam nos à te interficiendos, ac (quod nunc ideo querimus) hanc esse Regis nostri voluntatem affirmasti. Si talis est ejus voluntas, atque ita præcipit, omnes coram Sanctissimo Sacramento moriemur. Desinite templum non oportet tangere, quod Dei est; sic enim & infideles faciunt. Hæccine est Regis nostri voluntas, ut capiatis, & perdatis quidquid nostrum est? Hæccine fit Dei voluntati, mandatisque ejus convenienter. Quidquid habemus, nostro labore acquisivimus, nec quidquam noster Rex nobis donavit. Cur verò Hispani, quia nobis bene est, adeo nos oderunt? Noster Rex probe novit Deum nobis, maioribusque nostris has terras tribuisse, ideo-

Num. III. *ideoque eas in amore Dei tantum possidemus. P. Rochus Gundisalus sese submisit. Nos abhinc multis annis ad hoc usque tempus Hispaniæ Regibus semper parui-
mus. Quæ cum ita sint, quomodo quod affirmas credemus, existi-
mantes hanc esse non posse Regis nostri voluntatem? Adbuc tamen nos submisimus, nostrique Regis expectavimus voluntatem. Causæ nostræ instrumenta jam ad eum delata sunt, ut veritatem possit co-
gnoscere. Non ita pridem litteras ejus accepimus: Si veræ fortasse erant, epistolæ tuæ erant dissimilimæ. Scimus quid bona Regis nostri religio decretura sit, cum in-
strumenta nostra viderit, vitæque nostræ rationem omnis culpæ expertem cognoverit. Tu etiam in-
strumenta nostra perspexisti, in hisque nil præter ipsam veritatem dicimus. Hic terras non invenies, quæ nobis satis sint, multæque mi-
nus*

nus mutis animantibus. Non nos Num.III.

*solum qui ex septem pagis sumus ,
sed duodecim etiam pagos perdide-
ris , si nobis terras nostras auferre
volueris. Domine Præfecte , si ra-
tiones nostras audire abnuis , nos
Deo , qui omnia regit , penitus nos
totosque tradimus. Ille , siquid pec-
cavimus , probe novit. Regi nostro
in nulla re defuimus , ob eamque
rem ipsi maxime confidimus. Ille
nobis optime consulat : ideo litte-
ras nostras in omnes terras mitte-
mus , ut etiam infideles miseram
vitam nostram cognoscant , atque ob
facinora vestra stupefiant. Etiam
ad nostrum Regem mittimus , ut
Pater Papa vitam nostram sciat
omni misericordia dignam. Nihil
jam vobis confidimus. Hoc coram
Deo , qui omnia novit , atque omnia
videt , certissimum est. Ille tibi vi-
tam largiatur , nobisque etiam , ut
te nostri misereat. V. idus Maii
anni MDCCXXXII. litteræ
nostræ*

Num. III. nostri Regis ac Domini allatæ sunt. Continuo phaselus bellissimus apparatus est, cujus maximus malus ex argento erat. Cum prope ad ripam fluminis pervenisset, in summo mali chartam quamdam collocarunt; inde continentem immissâ, sclopum exploserunt, atque sese ad nos phaselus convertit, celeriter currens. Cùmque phaselus regrederetur, quasi currens oculis eorum, qui eum videbant, sese subduxit. Hæc omnia certa sunt, ac sub Præfeto Domino Dominico Orteyo de Roxas acciderunt. Etiam accepimus, quamdam navem Regi eleemosynam quatuor mille nummos argenteos (patacas appellant) attulisse. Hoc sciens dicit, Pater scilicet Petrus Arnal in sua epistola. Mense Septembris anni **CLVCCCLII** Pater Commissarius, nomine Ludovicus Altamiranus à Bonis Aeribus egressus in pagum S. Thomæ accessit. Cùm hic esset, popu-

populum ad deinigrandum aliò soli- Num.III.
citavit. Quod factum non est, sed
in Bona Aera reversus, postquam
eò pervenit, iterum Patrem Al-
phonsum Ferdinandum, Patrem
Rochum Ballester, Patremque
Augustinum misit. Hic Pater ite-
rum in S. Thomam pervenit anno
CLHCCCLIII. idibus Augusti.
Pagis ingredi tentavit; id tamen
milites prohibuerunt, itineraque
ei intercluserunt. Deinde ad pa-
gum Conceptionis accedere die fe-
sto, cum Missa celebraretur, ag-
gressus, à militibus etiam probi-
bitus est, eumque ipsi milites ite-
rum remiserunt. Postea ad Pa-
trem Romanum de Toledo S. Ma-
riae Maioris Parochum durissimam
epistolam misit, eamque centurio-
ni cuidam è S. Maria nomine Lu-
dovico Etuairabi tradidit; hinc
ad incolas S. Nicolai transmissa
epistola P. Carolo, Patrique Simo-
ni Sancto data est VII. idus Se-
ptem-

Num.III. *ptembris. Pessima epistola, in qua de expellendis Patribus agebatur ! Tum triginta milites è pago S. Ludovici ad pagum S. Nicolai ivērunt, Vique idus Septembris in templo ante oculos omnium char- tam è manibus P. Caroli arreptam in foro igni tradiderunt. Hoc ab incolis S. Ludovici factum est.*

Hoc modo Missam boni Patris impedire voluerunt. Sacrarium comminuere tentantes, prohibiti sunt: ob eam rem hos pagos non ingrediuntur. Prætor nomine Michael Yabatti hoc facere tentavit.

Præfectus Castrorum, Michael Chepa, Scriba à secretioribus Ermenegildus Curupi, & Casfici, & Dominus Joannes Comandyn, & Julianus Cubuca. Hæc usque ad hoc tempus facta sunt: Servus. Primus Ybavera S. Michaelis.

EXEMPLUM INDUCIARUM, Num.IV.
 quæ inter Gomeſium Frerium
 Andradium, atque Caſlicos fa-
 ctæ ſunt.

P Oſtridie idus Novembris anni
 MDCCCLIII. in hoc Cam-
 po fluminis Jacui, ubi Illuſtriſſi-
 mus, ac Celiſſimus Dominus Go-
 meſius Frerius Andradius, Pro-
 vincię fluminis Januarii, ac Fo-
 dinarum Generalium Præfectus
 Maximus cum copiis Regis Fide-
 liſſimi caſtra habet ad auxilian-
 dum exercitui Regis Catholici, ac
 demigrare cogendum Populos ſe-
 ptem pagorum oræ Orientalis flu-
 minis Uraguai, qui ſecundum pa-
 ctionem de limitibus ad ditionem
 Regis Luſitanię tranſire debent,
 ad eundem Celiſſimum Præfe-
 ctum venerunt D. Franciſcus An-
 tonius pagi S. Angeli Caſſicus,
 D. Chriſtophorus Atacú, D. que
 Bar-

Num.IV. *Bartholus Candiū pagi S. Ludovici Cassici, atque D. Franciscus Guaciū, qui prætor in eo pago S. Ludovici fuerat, eum orantes, ut ipsis se in pagos suos sine ullo detrimento conferre permetteret; ne eos, uxores, liberosve suos persequeretur, aut caperet: bellum enim se cum Lusitanis habere nolle. Cumque Præfectus cæterique, quorum nomina subscripta sunt, respondissent; se jussu Regis Lusitaniæ illic esse, atque expectare, quoad equites cæteraque copiæ exercitus, quem D. Josephus de Andenaigue ducebat, iter, rei frumentariæ inopiâ intermissum, repperent; atque si ab ipso, ut qui summæ rei præerat, mandaretur, esse progressuros, ideoque non recedere, sed in ipso loco, in quo erat, sese munire sibi esse constitutum; Cassici Indique cæteri, qui aderant, dixerunt, per Deum rogare sese, ut sibi tempus daretur,*
quo

quo Regis Catholici præsidium im-Num.IV.
plorarent ; sperareque , Regem de


miserrima eorum conditione vita-
que certiore factum eâ miseri-
cordia ipsorum rebus prospectu-
rum , ut aliquo certe modo leva-
rentur : atque si ita accideret , ut
nec Rex , nec ipsius Præfectus suis
precibus aures accomodaret , seque
iterum ad bellum compararet , fa-
cile perspecturos , Lusitanos è sui
Regis auctoritate ipsos persequi.


Quibus auditis , Dominus Præse-
ctus respondit , sibi in animo esse
ne minimum quidem cum exercitu
regredi ; sua tamen pietate , eorum-
que precibus victum inducias ipsi
concedere quoad exercitus Regis
accederet , atque his conditionibus :
Cassicos cæterosque milites in
suos pagos reversuros ; exercitum-
que Lusitanum nihil hostile adver-
sus eos aggressum flumen Pardum
transituum : ultrò citròque pacem
conservaturos , quoad aliquid à

Rege

Num.IV. Rège Hispaniæ aut Lusitaniæ constitueretur, seu potius, quoad exercitus Hispaniæ accederet; ubi enim hoc factum esset, exercitum Lusitanum Præfecto Bonorum Aerum omnino pariturum: atque nequa dubitatio relinqueretur, fines interim constitui ainnem Viamanum per adversum Guaybam usque ad eam partem, qua flumen Jacui in illum influit, indeque illud ipsius fluminis brachium, quod à vento Euronoto ad caput ipsius ascendit. Siqui Indi, ipsorumve pecus constitutos fines Septemtrionem versus transirent, & pecus capere, & in Indos animadvertere in potestate Lusitanorum fore; contra siqui Lusitani Meridionales fines transgrederentur, posse item in ipsos à Cassicis cæterisque pagorum Magistratibus vindicari, his tamen exceptis, qui ex alterutra parte litteras deferrent, hos enim sanctos inviolatosque esse debe-

debere. Cumque hoc & Celsissimus Num.IV.
 Præfectus, & Cæssici premitte-
 rent, nomen suum subscripserunt,
 Patreque Thoma Clarckio Sancta
 Evangelia manibus tenente, per ea
 solemnibus verbis omnia eo modo
 facturos jurarunt. Emmanuel Sil-
 vius Neves expeditionis Scriba =
 Gomesius Frerius Andradius =
 D. Martinus Josephus de Echau-
 re = D. Michael Angelus Blas-
 cus = Franciscus Antonius Car-
 dosus Menesius Souza = Thomas
 Ludovicus Osorius = D. Christo-
 phorus Atacú = Bartholomæus
 Candy = Fabianus Nagaen = Ja-
 cobus Pindus.





CA760

P784c



